

### III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 7.

---

#### *Politica Mortuorum Colloquia.*

---

Elysiūm-Meūm. Die Veneris. 9. Feb. 1810. (Neov. 23. Jan. 1810.)

---

— — — Pictoribus atque Poetis  
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

*Horat. in arte poet-*

#### *Colloquentes Manes.*

*Anton Maulbertsch. Car. Andr. Mayer.*

**M**aulbertsch. Prorsus non capio agendi rationem tuam. Jam aliquot labuntur dies & nihil mecum loqueris; tanto plus tecum ipse. Vultus truculentus; conspectus tuus tetricus est, facies indicare videtur: te omnibus indignari, omnibus infensum esse.

*Mayer.* Dixisti; ita est etiam.

*Maulb.* Ut hoc?

*Mayer.* Tam frequentes isthuc ex mundo sublunari adventant manes, adferentes secum Ephemerides artium elegantiorum, & alia id genus opera, quæ artem pro argumento habent, verum quid in iis legitur? Elegentes artes ab vaniloquis; ita dicam, circumforraneis homuncionibus judicantur, in crism sumuntur, & sententiæ auctoritate deciduntur, Scribillator, qui nec ex Pictoria, nec Statuaris, nec genuina Epopea litteram legit unquam,

qui vidit, expertus, intellexit nihil, hic lepidulus omnia dirimens audet! — Prostant carmina absque poete celebri, extant artium adumbrationes absque artificibus, æsthetici errores absque *Epos* — *Jupiter benignus ad/ta, vitulo miserere!* — —

*Maulb.* Id ipsum sæpe numero jam in vis agens cogitavi.

*Mayer.* *Spectatum admitti visum teneatis amici!* cum in *Ephemeride* similis farris legitur: „In Palatio Stroganowiano Petropoli allegoricam picturam dari auctore *Solimena* quæ præ cæteris virtutem, & veritatem adumbrat effigiemque Caroli V. Imperatoris Gloriæ sedi illocat;” tum memoratur: Gallum quemdam qui hujus imaginis possessor tardiere tempore erat, ex amore in — Ludovicum XV. hujus Caput in vicem Caroli V. & hodiernum possessorem rursus effigiem Catharinæ II. ejus loco substitui (in eam pingendo) curasse?” Vicissim alio sub respectu, an non aurium tenus rubore suffundi hominem oportet? dum a quodam scriptum legimus: In memorato palatio Mengesii opus pictorium reperiri: Copiam Celebris Resurrectionis Christi a Raphaelle in templo S. Petri Romæ! —

*Maulb.* Mirum! quanta hæc audacia!

*Mayer.* Ita Casu factum ut apud Cel. Kotzebue in *Reflexionibus* (3. 45.) ejusdem argumenti certior fierem; videlicet: in villa Hospigliosi Romæ celebrem Auroram a Guidone memoratu dignissimam esse; sane memorabilis — fortassis minus celebris ac mere-



qui vidit, expertus, intellexit nihil, hic lepidulus omnia dirimere audet! — Prostant carmina absque poete celebri, extant artium adumbrationes absque artificibus, æsthetici errores absque *Epos* — *Jupiter benignus adsta, vitulo miserere!* — —

*Maulb.* Id ipsum sæpe numero jam in vivis agens cogitavi.

*Mayer.* *Speñatum admissi risum teneatis amici!* cum in *Ephemeride* similis farris legitur: „In Palatio Stroganowiano Petropoli allegoricam picturam dari auctore *Solimena* quæ præ cæteris virtutem, & veritatem adumbrat effigiemque Caroli V. Imperatoris Gloriæ sed illocat;” tum memoratur: Gallum quemdam qui hujus imaginis possessor tardiere tempore erat, ex amore in — Ludovicum XV. hujus Caput in vicem Caroli V. & hodiernum possessorem rursus effigiem Catharinæ II. ejus loco substitui (in eam pingendo) curasse?” Vicissim alio sub respectu, an non aurium tenus rubore suffundi hominem oportet? dum a quodam scriptum legimus: In memorato palatio Mengesii opus pictorium reperiri: Copiam Celebris Resurrectionis Christi a Raphaelle in templo S. Petri Romæ! —

*Maulb.* Mirum! quanta hæc audacia!

*Mayer.* Ita Casu factum ut apud Cel. Kotzebue in *Reflexionibus* (3. 45.) ejusdem argumenti certior fierem; videlicet: in villa Hospighiosi Romæ celebrem Auroram a Guidone memoratu dignissimam esse; sane memorabilis — fortassis minus celebris ac mere-



atur — ibidem elegans est Aurora a Cl. *Guarino* confecta Celebris a *Guidone* in sedibus *Barbarini* de qua merita suo loco (pag. 129 &c.) nulla mentio injicitur. —

*Maulb.* Homo ille vere ignorans, Idiota est! —

*Mayer.* Porro in eodem artis chirographo legi: flavidum Colorem quem hodie in Italia secundum Cel. *Canova* exemplum, statuis ad imitationem humanæ Cutis indeendi mos est, liquore corrodeute produci, qui ut refertur, (Claudite nasum!) ex spiritu vini, Urina, succo nicotianæ, & cocta Coftea præparatur, & quo præter alia — hominum, Deorumque progenies, & insignis imaginum conjunctio nempe Amoris, & Psychæ, (Anima & corpus) peruncta & incolorata, quas de præsentis in æde Principis *Jussupov* Petropoli reperire est.

*Maulb.* Ex quo famigeratus ille mendaciorum parens in 2. Capite veteris Testamenti in atavos Tritavosque nostros irrepsit morale adulterandi moneta artificium ab omnibus Statibus adoptatum est. — Exceptis poetis, fabularum Romanensium scriptoribus, Ephemeridumque redactoribus qui *ex officio* mentiri debent, a quibus proin falsa, quam exponunt moneta nonnisi ut talis (ut numi rationibus ducendis servientes & signa usoria) acceptantur; filii Adæ plus minus ab omnibus defraudantur, qui vigore muneris sui, tituli, & tabulæ expositæ professionem indicantis, veritate nos excipiendos habarent. —

At omnibus venia dari potest ob commissam fraudem ; solum — Critonibus artificiorum, & recensentibus deneganda, quippe ex professione artis periti esse deberent, si igitur nos fallunt, an quæso non majore poena digni, quam Poetæ, Romanensium scriptores, Novorumque redactores, qui vi muneris jure mentiendi gaudent?

*Mayer.* Hæc quidem luce meridiana veritas est. Legimus cum devotione, & voluptate Judicia de artefactis, at: summa probabilitas adest, Criticos de artis operibus tanta prædicantes ea nunquam oculis usurpasse. Sed satis — labet hoc argumentum in perandinum differre, hoc ipso tubam advenientis ex superiore Mundo Deorum Tabellarii audire videor, age, sis, Conclave politicæ animi remissioni destinatum subeamus. (junctis brachiis ingrediuntur seqv. que legunt:)

*Varsovia 8. Jan.* Ex 3. h. m. princeps Polonicum hospitium Principis Ponjatovsky ex Mniszow isthuc tranlatum est. Die 2. Gen. Status illine huc adtulit.

Novum videri potest: limites Russicos ad Ducatum Varsov. juxta Niemen, & Bugum Russicis copiis fortiter muniri, generatim validæ Copiæ Russicæ versus Poloniam Russicam proficiuntur.

*Amstelodamo 18. Jan.* Nudius tertius utpote 16. h. m. Minister negot. int. consuetis Ceremoniis Cameram Collegii legislativ. accessit, mox nomine regis novas Sessiones auspiciatus.

Fertur Conventionem in argumento cederendam ab Hollandia Galliae confinariorum conditionum sub finem superioris mensis Parisiis subscriptam esse! Vigore hujus tota Zeelandia & australis pars Hollandicae Brabantiae, quae munita loca Bergam ad Zocnam, Sylvam Ducis, & Bredam complectitur, Galliae unienda. Hollandia retinet borealem tractum Mosae Hollandicum Disp & Biesbosch, porro tractum australem Mosae qui Heusden, Getruydenberg & Willenstedt in se continet. praeterea in Conventione Unio incorporativa M. Ducatus Bergae titulo Compensationis definita. Propositae principio Ordinationes cum praedictis militaribus & re teloniali in Hollandia ad liquidum deductae habentur. Eadem occasione aeralia argumenta decidenda feruntur. Coronae princeps eodem cum Rege tempore in Hollandiam venturus dicitur.

*Londino die 12. Jan. Nudius tertius D. Ogkley Secretarius D. Jakson isthinc discessit. Revertitur secundis ventis in Americam.*

In fretum Sundicum nova expeditio sub duce D. Sydney Smith praeparari perhibetur. —

Aliquot ante diebus thesaurarius Collegium 8 milliones 500,000 Libras Sterl. ad Argentarium mensam transmisit, ad dividendes postremi Semestris Capitalium hypothecam assignatam habentium (consolidatorum fundorum) exsolvendos. His solutionibus hesterno initium datum, quae 5 pro Centuali hypotheca munitae sunt, in  $69\frac{1}{4}$  & quae 4 in procentuali  $87\frac{7}{8}$  consistunt.

*Parisii 17. Jan.* Hesternæ Sessione Collegii legibus ferendis binæ locales rationes concernentes legum propositiones prælectæ. Tum Cæsarea Epistola lecta, qua Collegium provocatur ad Electionem & Candidatorum præsentationem pro Præsidis munere suscipiendam, in proxima Sessione. — Hæc Electio in hodiernum defixa. C. Fontanes, qui præsens usque, munus Præsidis in sextum sustinuit, hæc occasione Collegas obtestatus est nullam sui uberiores rationem habeant, cura credita sibi ab Imperatore suprema rei litterariæ & studiorum Inspectio totum tempus, omnes vires suas deponat, cæterum daturum se omni operam ut olim liberis eorum sibi Collegarum, gratum quo eorum patribus obstringitur, animum exhibeat &c.

*Continuatio Orationis Ministri rei aerariæ nuper abruptæ Vid. Nro 5.*

„Majestas Vestra spe quoque tenetur statum militarem suum 200 millibus imminuere, adque 700,000 restringere posse; quorum dimidia pars operationibus in Hispania, altera defendendis oris, maritimisque Expeditionibus impendenda.”

„Eodem tempore, quo M. V. instructionem extraordinariæ auctorationis 200 [armatorum millium & 50,000 equorum ex domestico thesaurario procurabat. Eadem, 80 miliones Canalibus fodiendis, viis publicis reparandis & struendis, emendationi omnis ge-

neris interni Status objectorum impendit, unico proin anno majorem summam, quam toto regiminis tempore vix alii Imperantes impenderunt.

An non magis mirandum: dum eodem tempore Alexandria, Kehlæ, Casselæ, Velsellæ; Juliaci, Vanloo, Belleille, in Insula d' Aix, Bononiæ, Antverpiæ & ad oram Scaldis munimenta excitata videt? In cunctis portibus Anverpia usque Spezziam operæ fervent, & antequam duo anni efluxerint portus Chariburgi & Antverpinus singuli 30 naves bellicas complectentur."

*Continuatio sequetur.*

### B I O G R A P H I A.

*Antonius Maulbertsch* Cæsareo Regius Cameralis Pictor & Regiæ Academiæ, eleg. AA. Berolini membrum. Natus Laugenargenii in Dominii Montfortensis Tattnang die 17. Jun. 1724. Annum agens 16. Vindobonam venit, ad artificem van Roi, tirocinium subiturus, anno 1741 Cæs. Reg. adire cepit Acad. A. 1750 publico donatus præmio operibus præfixo, 1760 Collegii Academiæ membrum factus. Erat excellens Pictor historicus, præcipue udo illinendo Colores (Fresco) Multæ Altarium tabulæ ostendunt ejus ingenium. Die 8. Aug. 1796 Vindob obiit. Pro eleganti pictura quam dimidio prope anno ante obitum in Bibliotheca Monasterii Pragæ Stückhof elaboravit, doctus Prælatus monasterii 300 florenos numeravit; utpote cum plures Artifex non petierit. Habentur descri-

ptiones latino & germanico idioma e ejus;  
at exiguo, pro amicis solum, numero.

*Carolus Andreas Mayer* (Cronoiensis) ex  
Görlicz, vir cordis, & rectæ mentis. — In  
deserta ejus inveniendi indoles continuis ei  
occupationes suppeditabat, vitamque ejus  
perficiendis artibus, & excolendo animo me-  
morabilem & doctrina plenam fecit. Ex una  
scientia ad aliam progressus non quievit an-  
te, quam summam, quæ potuit, dexterita-  
tem in ea sibi familiarem fecisset. Pollebat  
magna novarum linguarum cognitione, litte-  
rarum Commercio fovit cum artium peritis  
& doctis in & extra Germaniam, erat præclarus  
Theoreticus in musica. Emendavit Harmo-  
nicam, Clavloordium arcum referens, Instru-  
mentum Euphon dictum, & auctor Harmo-  
nicon dicti Instrumenti Musici haberi mere-  
tur. Ejus hospitium erat sedes musarum.  
Pretiosissima Collectio imaginum ornavit ere-  
ctum ab eo Oecum. Possedit elegans Mu-  
sæum mineralium, nobilem Collectionem om-  
nium fere domesticarum Avium. Nihil præ-  
stantius erat ejus ingenio, quam Cor, quod  
omni bono & pulcro patebat — Supremum  
obiit 14. Jan. 1797.

---